Paulus dei et apostolice sedis gratia Episcopus Curien. Venerabilibus nobis in Cristo sincere dilectis N. decano et Capitulo ecclesie
nostre Curiensis, Salutem in domino cum notitia subscriptorum Constitutus coram nobis die data presentium Venerabilis nobis in
Cristo dilectus Lucius Iter Canonicus dicte ecclesie Curien. Offitium Custodie quod vna cum Canonicatu in dicta ecclesia obtinebat
ex causis animum suum Legittime moventibus in manibus nostris sponte et libere resignavit nobis humiliter supplicans vt eandem
resignationem admittere. Et idem offitium cuius Collatio provisio et plenaria institutio ad nos de iure pertinere dinoscitur dilecto no=
bis in Cristo Remigio ab Erenfels Canonico eiusdem ecclesie prebendato pronepoti suo conferre sibique graciose providere dignaremur de
eodem. Nos igitur supplicationibus predicti dni Lucij inclinati resignationem huiusmodi admittentes et prefato Remigio ab Erenfels
spetialem gratiam facere volentes sibi offitium Custodie predictum sic vt prefertur per liberam resignationem vacans auctoritate nostra
ordinaria contulimus sibique providimus atque ipsum investimus de eodem; prout conferimus providemus et ipsum investimus presentium lit=
terarum tenore Vobis mandantes vt eundem Remigium (Excepto tamen primitus ab eo solemni Juramento quod bona dicte
Custodie non alienare et forte alienata seu deperdita pro suo posse recuperare nec non ecclesiam Curiensem predictam cum lumi=
nibus et alijs ad offitium Custodie de iure vel consuetudine pertinentibus debite providere et offitium fideliter administrare velit) in
possessionem corporalem realem et actualem dicti offitij inducatis et deffendatis inductum datum sub Sigillo nostro presentibus
suspenso in Oppido Bluenz die decima mensis octobris Anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo septimo

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz